



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ Antiqvitate

Hugo, Hermann

Antverpiæ, 1617

Cap. XVII. De occultandâ scriptione per transpositionem literarum. De Iulij
& Octauiani inuento. Suetonius auctoritate Varronis correctus. Quid
scribere per Tractationem apud Varronem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

ptionem. Id autem fiebat his artificijs:

Nocte tantum legi possunt literæ scriptæ aquâ distillatitiâ nitedularum, vel aquâ salicis putrefactæ.

Aspectum fugiunt literæ omnes scriptæ aceto, vrinâ, lacte, lacte herbæ tithymalli, adipe, sepo, pinguedine, gummi, donec puluere aspergantur; tum protinus fiunt visibiles.

Scripta item omnia succo mali citrij, cæparum, ceraforum, cyclamini, aliûsve cuiuspiam pomi acris, sale denique ammonico, solo igne admoto legentur.

Gummi, sale, & calce scripta, legi non possunt, nisi papyrus in quâ scriptum est, cremetur.

Alumine aut chalcantio scripta tantum legi possunt postquam charta in aquam demersa est, aut vinum certo modo paratum.

Quædam legi non possunt nisi interposito lumine siderum aut candelæ: quædam affusâ aquâ hydrargyri; de quibus singulis latè Ioannes à Porta libro 1. capite vltimo. quòd verò de lacte tithymalli interposui, habeo ex Plinio libro xxvi. cap. viii.

CAPVT XVII.

De scriptione per transpositionem literarum occultandâ.

MIRE sibi gratulabantur veteres, insigni scilicet, vt ipsi putabant, inuento epistolarum occultè scribendarum per transpositas literas;

teras: sed profectò id artificium facillimè à quouis sagaciore deprehendi potest, vt non iniurià Iulius Scaliger Exercitat. cccxxvi r. id vocet delirium, & imposturam. Referam tamen paucula eius exempla, veneratione solius antiquitatis. Recentiores omnes id genus technas relinquo apud Neapolitanum quærendas lib. i. De notis furtiuis: quamquam Amplissimus Consiliarius Puteanus epistolâ quadam ad Plouuierium de *ἔπιτομή*, rationem ostendit occultissimam scribendi per transpositionem, quam nec Oedipus diuinare possit. de quâ ita numquam locuturus fuisset Scaliger, vt de veterum facili commento.

Iulius Cæsar, inquit Dio lib. xxxix. *consueuerat, si quid secreti cuiquam per literas significaret, quartum semper elementum in scribendo, pro eo quod sumi debebat, sumere; ne obuia literarum lectio cuius esset.*

Augustus autè (verba sunt Suetonij c. lxxxviii.) *quoties per notam scribit, ponit B pro A, C pro B; ac deinceps eadem ratione sequentes literas; pro X autem, duplex A A.* Sed hæc scriptio non rectè à Suetonio vocatur *Scriptio per notam*, seu *per notas*, vt loquitur etiam cap. l v r. in Iulio Cæsare: quia literæ, etiamsi transpositæ, non tamen sunt notæ; neque etiam per transpositas literas scribere, idem est quod *notare*: nam quæ per transpositas literas scripta sunt, omnino perscripta sunt; seu, vt barbari loquuntur, ad longum omnibus necessariis literis scripta sunt; notata autem, seu notis scripta, compendio, & per abbreviationem (vt vocant) scripta sunt. Paulus verò Iureconf. De milit. testam. & Cicero in Catil. & ipse Suetonius, hæc duo ita sibi opponunt: *Notata, non perscripta erat*

erat *summa*. quæ sunt ipsius Suetonij verba ; sicut hæc Ciceronis : *Nondum est perscriptum Senatusconsultum*. Et certa omnino res est : nam quæ notis scribebantur, breuissimè & velocissimè erant scripta ; quæ autem per transpositionem, totidem constabant literis, quot recto ordine perscripta constare solent, vt patet ex Probo Grammatico, quem Gellius libro xvii. cap. ix. narrat fecisse commentarium de occultâ significatione literarum in epistolis C. Cæsaris.

Igitur Varro rectiùs quàm Suetonius scriptiõnem hanc appellat lib. i v. *Etymolog. Tractationem* ; vbi malè quidam legunt *arctationem*, vti benè adnotarunt Turnebus lib. xxiv. *Aduer. c. xxix.* & Scaliger *Coniectan. in Varronem*.

Porro D. Hieronymus commentariis in c. xxv. *Ieremiæ*, meminit apud Hebræos literas ita transponi solitas, vt prima, loco vltimæ ; secunda, loco penultimæ ; atque ita deinceps ponerentur, censetq; ita ab Ieremiâ scriptum esse פשפ, *sesach*, pro בבל *Babel* ; ne Rex irritaretur in captiuos Israëlitas ; quod genus illi vocant אַתְּבַשׁ *athbasch*. cum videlicet Aleph א loco Tau ט ponitur, & Beth ב loco Schin ש, &c. Imò etiam planè inuersis verbis ad occultationem scribi solitum, narrat Isidorus. Vtuntur autem prætereà Hebræi numeris loco literarum inquit Bibliander : vt טז, pro יה, quod est nomen Dei ; nam vtraque literarum colligatio notat quindecim.